



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XIV. Pontificis in Galliam aduentus. Et quid egerit cum eo Rege,  
praesertim de causa Protestantium, & Anglicano diuortio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

haberentur declarationibus Interpretis legitimi, atque à Deo constituti, tum sacrorum Doctorum commentationibus à peculiariis forum lumine profectis, qui tandem communem Ecclesiæ sensum enuntiant. Quapropter postulatio Protestantium æquiparanda erat litigatoris petitioni, qui contenderet, in suæ causæ decisione rationem legi ac Iurisperitorum opinioni præferri. Certissimum quippe est, legem rationi aduersantem neutquam valere, multoqué minus cuiusvis Iurisconsulti opinionem rationi pariter repugnante. Quare vbi ratio in aperto est, nihil opus lege, nihil Legisperito; sed sufficit lumen, hominum animis à natura inditum. Verum quoniam in rebus moralibus ratio plerumque delitescit, idcirco eius inuestigandæ cura, ac declaranda auctoritas prudentibus Legislatoribus tradita est; & cùm aliquando lex ipsa obscura sit, multò plus lucis accipit ab intelligentia Iurisdoctorum, qui diu accurateque in eo se studio exercuere, quā à gregariis Iudicibus, quibus instrui necesse est innumerā fere Tribunalia. Hinc ergo, ut quā possit tutissimè legi ac rationi adhæreatur, in more positum est, ut Iudices in ferenda sententia opinionibus suis insignium Iurisperitorum doctrinas anteferant.

Concludebant Protestantes: Vbi Pontifex more consueto Concilium habere vellat, se minimè recusatueros adesse, vbi ita aduocarentur, vt caustum publicè ipsis foret (intelligentes per eam conditionem inter alia Concilium in Germania celebrandum) & vbi existimarent id è Dei gloria futurum; sed retentâ libertate accipiendi, repudiandive eius decreta, prout ea Diuinis Oraculis vel confona vel absonta arbitrarentur. Quod profectò sonabat, se Concilio interfuturos, vt ipsum impugnarent ac diiudicarent, non ut ibi promouerent unitatem Ecclesiæ, illud agnoscentes tamquam legitimū excitatarum dissensionum Iudicem.

## C A P V T X I V .

*Pontificis in Galliam aduentus. Et quid egerit cum eo Rege, p.r.e. sertim de causa Protestantium, & Anglicano diuortio.*

**R** Ex Galliæ non destiterat solicitare congressum cum Pontifice; qui respui à Clemente non poterat, quin immodecum seu excommunicationem seu benevolentiam præferret in Cæsarem, non solum ut primogenitum, sed velut vii genitum eum habendo; quod vicissim effecisset, ne Rex ipsum vti parentem agnosceret, cum causæ publicæ pernicie. Quoniam verò Sabaudia Dux

Pars I.

N n

iis

1533.  
Guicciar.  
dinus lib. 20.

iis Principibus arcem Nicenam concedere recusauerat, necesse habuit Pontifex Massiliam nauigare; \* quod 12. Octobris appulit, eodem postmodum deductā, ut Rex postulauerat, Catharinā sponsa. Hac inter Florentinorum tumultus propè fuit ut infantula in horae occideretur: inde etatis fauore subtracta, ac fortunā propitiā non modò ad Galliæ Coronam destinata, vbi demortuo primo filio ipsa cum viro regnauit, sed etiam ad plenum fermè Gallorum imperium, tergeminā ipsius sobole ibi regnante.

Suauis hasce nuptias à Pontifice sanctitas refert ad postremam offensionum semina in Cæsarem iacta, præsertim ex occasione Concilij; iter vero in Galliam, ad ambitiosam eiusdem matrimonij cupiditatem. Et tamen de altero demonstratum est, quatuor iam ante annos, cum Clemens & Carolus alia Bononiā amicissime conuenissent, connubij negotium à Pontifice cum Cæsare communicatum, comprobatumque ab ipso, ac posteà tursus idem propositum à Nuntio Aleandro Bruxellis, idemque redditum à Cæsare responsum, biennio prius quam res ad effectum adduceretur, ante Ratisponensem Conuentum, ac Pacem Norimbergensem, ante Concilij petitionem, & adiudicatam Ducis Ferrariae causam, ante cetera Cæsare diffidentiae irritamenta. Bononia denique Pontificem Cæsar extimulauit ut rem perficeret, atque ita ratus inanitem spei patefactum iri, rei exitum maturauit.

Enimuerò quando iam Pontifex eam animi libertatem ab omni sanguinis studio non præ se tulerat, quæ sui munericæ sanctitati plene respondereret, nullus supererat excusationi locus recusandi eam cum Gallo affinitatem sine graui offensione illius Regis, cuius benevolentia Religionis rebus id temporis adeò necessaria cernebatur. Quare quicumque sanæ mentis intelligebat, admissa semel carnis consanguineos animi proclivitate, illum vel ex quacumque Religionis feueritate retrocedere haud potuisse. Quod si Pontifex ambitione ad id compulsus est, non igitur opus fuerat diffidentia cum Cæsare; adeoque Suauis, quod duplice virtute simul hunc oneret, non simul contradicit, & in vitroque fidem suam labefactat. Quod ad iter in Galliam spectat, patet ex narrationibus Scriptorum, rebulque posteà gestis, nihil aliud in eo colloquio cura fuisse Pontifici, nisi Ecclesiæ emolumenta, quæ simul etiam ad Cæsaris emolumenta spectabant: cuiusmodi erat, per Francisci Regis officia Germaniæ Protestantes mitigare, Regemque Britannie à repudio materteræ eiusdem Caroli reuocare. Ceterum, non modò Pontifex nullum cum Rege sœdus iniit, quod animosè Suavis affirmat adserens



sus testes incorruptos, quos suprà \* produximus; sed neque assensus est Cardinali Mediceo, sui patruelis filio, ex muniberibus pretiosissimis à Rege oblatis quidquam acciperet, præter Leonem iam mansuetum Franciso Regi dono missum ab Hariadeno Oenobarbo.

Cum Protestantibus egit profectò Rex quam ardentissimis potuit officiis. Sed fallitur quicumque sibi persuaderet, rebelles cùm externi Principis patrocinium implorarunt, suæ contumacæ illius gratiâ temperaturos. Si enim parati forent suorum motus animorum componere pro alicuius imperantis arbitrio, illi sane se subiicerent, cui olim obtemperare confueuerant; quod humana natura æquius fert, quād denū extororum voluntati se subdere. Sic postmodum actum vidimus à Batauis perduellibus, modò cum Alençonio, modò cum Casimiro Palatino, modò cum Archiduce Mathia.

Diutinè, ac meliori cum spe tentatum fuit à Gallo, Henricum Octauum retinere ne se præcipitem daret. Qua in re accuratè obseruandum, si Pontifex mortalibus inhians commodis, vt cum Suavis effingit, fautores Cæsari infensos sibi conquirere voluisset, in ea certè causa tam rectâ libertate nequaquam virurum fuisse, adèo ut Suavis ipse (qui prudentiæ nomine appellat politicam calliditatem, non autem iustitiam fluxis commodis imperantem) dixerit, in eo negotio Clementem confuetâ prudentiâ à Deo fuisse priuatum.

4 Scire igitur opòret, Henricum Angliæ Regem, seu moræ diuturnoris impatientem, seu diffusum Romanam Curiam sibi propitiari futuram, iam diu vehementissimè efflagitasse, vt sua causa ludicribus Britannicæ committeretur, ac cum Pontifice conquestum acerrimè, quòd id pernegasset. Eius literis in Senatu Vaticano recitatis 22. Decembris anno 1530. adhuc tamen demandatum Romanæ Rotæ Auditoribus, vt ex Iure procederent, ac postea ad Senatum referrent, à quo sententia proferretur. Èdem die in Senatu, Catharinæ Procuratoribus postulantibus, alterum quoque latum Decretum. Cùm enim Angliæ Rex Bolenam, nuptias ei pollicitus, ad se pertraxisset, cum ea similiter degebatur, eidemque se re ipsâ nupturum ostentabat: quamobrem Carolus ac Ferdinandus ad Pontificem Senatumque Purpuratorum tanto animi ardore scripseré, vt ab eo Consessu Diploma conficiendum impetraverint, quo Regi, simulque Annæ, & cuicunque feminæ prohiberetur, ne matrimonium inirent, vel aliud quidquam auderent in ea causa attentare; & quidquid secùs faxint, irritum foret. Hoc Diploma

N n 2 Alean-

1533.  
\* Cap.12.

Iouius lib.  
31. & Spon-  
danus an-  
no 1533.  
num. 9.

1553. Aleandro ibi Nuntio traditum, iniunctumque, ut apud se quamdi possit id retineret, ne Henricus acrius excandesceret: sed vbi te necessitas, vel Cæsaris urgentis efficacitas postularet, illud proximate adhiberet.

Literæ A-  
leandri ad  
Salviatum  
14. & 15.  
Novemb.  
1531.  
23. Octo-  
bris 1530.

a Literæ A-  
leandri ad  
Jacobum  
Salviatum  
25. Martij  
ann. 1532.  
b Literæ Sal-  
viati ad A-  
leandrum  
14. Aprilis  
ann. 1532.  
c Literæ A-  
leandri  
17. Aprilis  
1532.

Iam verò Bruxellis, vbi primum Aleander Cæsarem adiit, flet grantissimè super ea re loquentem audiuit: Sibi materteræ lacrimis discerpi præcordia: ac proinde in ea causa Clementis iustitiam à se implorari, ad quem literas ardentiissimas dederat, in Senatu Vaticano lectas 29. Martij anno 1531. Nuntius aliquamdi rem protractit, causatus è Pontificem vti morā, ne Regis animum in ipsam Reginam inflammaret, facilioremque sineret aditum reconciliationi cum ipsa, vbi æmula pertæsum foret; prout ferre solent huiusmodi commotiones animorum, quò impetu citatores, eo latetati propinquiores. Sed tandem comperto Regis cum Anna per uicaci contubernio, eiusque voluntate ad grauiora proclui, nescie fuit Nuntio Diploma proferre; <sup>b</sup> quod ex mente Pontificis actum est. Vehementer querebatur Cæsar, vnius hominis, vniusque feminæ libidine, causam huiusmodi contra ius fasque retardans. Vnde oportuit interpositam in mittendo Diplomatæ moram cum illo dissimulare, ob indignationem ex eo ortam, quò nondum missum suspicaretur.

<sup>c</sup> Granuclanus pariter, & Couius ob eamdem cunctationem ferociter obstrepere, Nuntio significantes, eam futuram in Comitus potissimum de Pontifice querimoniam: ab Henrico, cùm audacter in causa tam pudenda sibi obfisteretur, omnem audaciam dependam: Anglicanum Regnum minimè passurum, vilem illam mulierculam sibi Reginam imponi. Studebat Nuntius Pontificem excusare, ab illo sententiam protrahi affirmans in rem ipsius partem eam efflagitantis. Verùm Cæsar ac Ferdinandus, Catharinæ questibus perstricti, Pontificem ad ferendam sententiam acerrimè compellebant, quam validissimum frænum libidini alioquin indomiti perditæ Regis fore sperabant. Hæc ipsa officia vim summam accipere ab ipsa Cæsaris voce Bononiæ alloquentis Pontificem, qui iam nihil obtendere poterat; seque in angustias redactum seminabat, inter discrimina vel iustitia lœdendæ, simulque abalienandi à se par fratrum potentissimorum Principum, vel Regem libidinis impotem vñà cum Regno præcipitem agendi. Sed quantò faciliter est omittere quā agere, illudque minus periculosum habetur, cum hoc semper in promptu sit, Clemens rem procrastinavit, nec invocabile sententia telum umquam intorsit.

Co-

<sup>6</sup> <sup>a</sup> Contrà, Rex Gallia spatiū flagitauit, quo Henricus suæ causæ patronos Romam legaret; quippe qui arbitraretur se minimè obligari ad se vel præsentem vel per legitimos Procuratores Romæ fitendum. Ac spatiū quidem ad id, sed extra iudicium illi concessum; adeò ut in Senatu Cardinalium Capisucco, in Romana Rotab Iudici, iniunctum fuerit in causa progreedi, nisi qui ad excusandam Henrici contumaciam adesset, illius ad id mandata proferret. Interim Anna concepit: & Rex, quà vt eam leniret, sibi momentis singulis exprobrantem inanem Regiæ promissionis fidem, per quam ipsi virginitatem ac famam ademerat, quà vt futuram prolem, quam virilem sperabat, legitimam declararet, effecit vt coniugium Catharinae irritum pronuntiaretur à Guillelmo Cranmero, qui Bolenie familias à Sacris fuerat, ideoque ab Henrico in Sedem Archiepiscopi Cantuariensis intrufus, atque hac nixus sententiā, elandestinum cum Anna coniugium Henricus contraxerat.

Huius rei certiorē fecit Franciscum Regem, simulq; significauit, à se prospici ob eas nuptias imminentia sibi à Pontifice anathemata, & à Cæsare bellum: proinde iphius open implorare, enixaq; ab eo petere, vt in Massiliensi cum Clemente congressu ob oculos illi poneret, vbi Pontifex latam in Anglia sententiam abrogaret, Regem reipsā Anna nupturum, siuumq; Regnum ab illius obedientia subducturum. Responsum à Gallo, \* se in omnibus, quæ Religioni detimento non forent, fraternâ illi benevolentia adfuturum. His cognitis, qua sanè latere non poterant, Cæsariani Pontificem adorti, ipsum vt sententiam ferret, ineunte Iunio sollicitabant. Ipse tamen, quā potuit cautissimè, iuribus contra Regem agentium sui q; Tribunalis auctoritati consuluit. Itaque 11. Iulij anno 1533. in secreto Patrum confessu, Cæsare & Catharinā sollicitantibus, super duobus sententiam tulit; nimurum, Regem in censuras incidisse, ob contumaciam in iis peragendis quæ sibi fuerant per Diploma interdicta, vxore depulsā, alia sibi feminā adiunctā. Huius tamen sententiæ effectum suspendit usque in integrum futurum \* Septembrem, eā temporis morā Regi concessā, si forte resipiceret atque pareret. Reginam verò, vt pote ab eo iniuria deturbat, in pristina coniugij Regiæque dignitatis quasi possessione reponendam. Sed præcipiūs litis articulus, an ratum fuerit Catharinæ connubium, de industria nondum decisus, vt ali quid timendum sperandumque Regi supereſſet.

<sup>7</sup> At Anglus adeò non paruit, vt idolo suo obsequendi cupidus, populiq; publicē ostendandi heredem Regni in partu iam proxi-

1533  
a Literæ Sal-  
viati ad A-  
leandrum  
8. & 13. De-  
cembbris  
1531.  
b 10. De-  
cembbris  
1531. ex  
Diario cita-  
to Ludovi-  
siorum.

\* Guicciar-  
dinas lib. 20.  
Spondanus  
ann. 1533.  
& Iouius.

Blasius Cæ-  
senas in fuis  
Dianis.

\* Siue O&Co-  
breum, vt  
narrat in  
Diario cita-  
to Blasius  
Cæsenas, qui  
sententiam  
ibi legit, cum  
eſſet a Secre-  
tis.

N N 3 mo,

1534.

mo, ritu solenni nuptias celebrauerit, vetueritque Catharinae  
men suæ coniugis in posterum tribui, sed *Archuri Principis* vidua  
nominari. Ad hæc iussit Annam Regiæ Coronâ per insolitan  
pompam redimiri; Mariam filiam, ceu ex non legitimo commi-  
bio natam, titulo *Principis Valliae* priuauit, adiectis ad hoc vano  
quoque neglectæ Pontificiaæ auctoritatibus argumentis.

Guicciardi-  
aus lib. 10.

Verumtamen cupiens aliquid cum Pontifice componere, Orato-  
res suos Massiliam legauit, dum hic vna cum Rege Gallie ea in ve-  
be commorabatur. Ibi verò fortuitò contigit, vt Rex Gallie, cu-  
ius intimum conclave à Pontificis cubiculo solus paries fec-  
nebat, in quo peruvia utriusque ianua patebat, eā ingressus Anglie  
Oratores offendit, à Pontifice ad Concilium inurbanis mode-  
prouocantes. Hac re iratus Rex, & ægerrime ferens Poni-  
cet domi suæ ad eum indignè habitum, enuntiauit Pontifici, se-  
nim offensum iri, si ille in ea causa ex iure ageret. Tum verò Co-  
mens intellexit, se iam necessitate adactum ad educendum potestis-  
tis suæ telum, nisi maluisset omnibus patefacere, idoneum sibi non  
esse brachium ad illud ejaculandum; adeoque compelli se tum ad  
decretorum anathematis fulmen euibrandum, quando præfuita  
sententia dies iam præterierat; tum ad potissimum articulum de-  
cidendum. Restamen usque ad eius in Vrbem redditum dilata, quæ  
sub anni exitum contigit. Ed igitur regressus Pontifex certis te-  
datisque verbis propinquam sibi mortem pronuntiabat, ac sepul-  
cralem sui funeris apparatum adornabat: cum interdum in qui-  
busdam magis conspicuis magisque commendandis euentibus in-  
dat Deus mortalibus intimam futuri præfigitionem, quæ testem  
in terra, eam cœli prouidentiæ regi.

## C A P V T X V.

*Sententia in Regem Angliae à Pontifice lata, eiusque  
Regni schisma.*

¶ Iacovarij  
ann 1534.  
vt in actis  
Confessoris  
libus.

**R** Euersum Romanum Pontificem Cæsariani ad ferendam in  
Henricum sententiam acriter extimularunt, pro qua ex-  
quenda validissimas copias pollicebantur. Cundatus in-  
hilominus Pontifex est, propterea quod sese interim Gallie Rex  
interposuerat, legaueratque ad Pontificem Ioannem Bellayum Pi-  
risiensem Antiftitem, illustrem doctrinæ ac prudentiæ virum, ac  
postea Purpurâ décoratum, quod illum leniret; eodemque tempore  
conatus erat præferuidis officiis Henricum ad Pontificis obsequium  
per.

